

niam tu fecisti. Subditi mei insultant mihi. Ego perfero, quoniam tu fecisti. Israëlis tribus defecerunt a me. Ego non exandefco, quoniam tu fecisti. Hæc omnia, fat scio, tuis sunt placitis. A te & tua sunt hæc plaga; Amoue à me plagas tuas.

Ita Dauid non ad secundas, sed ad causam primam respiciens, non lædentem famulum, sed iubentem Dominum considerans, iniurias maximas animo tulit æquissimo. Hinc illa Bernardi voces: *O verè hominem secundùm cor Dei, qui de corde Dei in seipsum ferebat sententiam. Senebat lingua Semet maledica, sed intendebat Dauid, quid in occulto ageret Deus. Vox maledictis in auribus erat; & regis animus ad benedictionem se inclinabat. Nunquid in ore blasphemus Deus? Absit: sed eo visus est ad humiliandum Dauid.*

Ber. ser. 34. in Cant. mihi p. 878

Sara.

Ita Iobus Augustino teste, non attendit, quis percuteret, sed quis permitteret. Ita Sara à suamet ancillula interfectrix virorum appellata, pluribusque conuiciis affecta, non pugnis, sed nec verbis in famulam sæuit, nec eam domo exturbauit, sed nec verbulo contra hifcens in superius cubiculum perrexit, toto triduo impranfa & incenata inter preces & lacrymas sua omnia cum Deo transgessit. Ita proflus & ipsa non secundam, sed primam causam indefessis oculis aspexit.

§. V

Rem miram, & nescio, risu an indignatione dignioram attexo. Fuit non ita pridem ex opulentis ciuibus iacturam octo millium philippeorum passus, iactura causam in ciuiliu aliquem deuoluebat. Ad illum igitur à damno pecuniario tam mæstum vir religiosus reuulsens, & inter solatiorum fomenta illud Iobi adhibens: *Dominus dedit, aiebat, Dominus abstulit.* Cui alter promptè: Ita est, inquit, vt dicis, Dominus dedit, sed nebulo, sed trifurcifer abstulit. Ohe voces non hominis, sed bouis! Procul ista, procul ab ore, à pectore Christiano. Indocta nimis infania, furor impius est de diuina prouidentia tam malè sentire, tam fatuè loqui. Manet illud confirmatissimum. *Dominus dedit, Dominus abstulit:* seu Chaldaei, seu Sabai, seu alij pecus abegerint: Dominus abstulit, quoniam ipse hoc fecit. Nihil penitus possunt causa secundæ, nisi annuat, nisi velit ac permittat prima.

Iob. 1. 21.

Atque vt facta fiant è verbis, quod dicimus exemplo monstramus. Nobiliores vini complures in orbem steterunt circulo facundo varia dissertantes. Inter hos dicacior vnus certum aliquem oratione aculeata non leniter perstrinxit, & illi velut pileum decussit. At verò alter tanquam Tiphones angue in se coniecto altum coquens dolorem ita secum statuit: Non impunè hoc dixeris. Hæc in me sparsa reddam cum fenore. Inultam, vt scias, non sinam, oris tui libidinem: hæc voces per tuum iugulum redibunt. Hoc igitur vlcifer probè, aut potius bonis & vrbe cedam.

Si quis interrogasset hunc hominem, nutu etiã vellet cælo cedere; valde vercor ne responsurus fuisset: Etiam cælo cedam, modò vindicem hanc iniuriam. O stulti & tardi corde! Ita fatui sumus, vt subinde placeat facturam potius cæli facere, quam iniuriam non vindicare. Hoc autem inde prouenit, quia fixissimis oculis causas secundas intuemur, primam cæci transimus, cum famulo litigamus, & nutus heriles minimè obseruamus. Ad Tobiam redeo.

Tobias in cæcitate non est contentus, sed in timore Dei permansit.

Tobias non est contentus contra Deum, quòd plaga cæcitatù euenerit ei, sed immobilis in Dei timore permansit, agens gratias. Deo omnibus diebus vitæ suæ. Tobias non causas secundas, non hirundines, sed causam primam, sed Deam penarum omnium auctorem considerauit. Hinc animus ei tranquillus, & tanta in Dei timore constantia. Nos itidem nullus mæror, nullus dolor, timor nullus à Deo abducat: in timore Domini permanebimus immobiles, si in

rebus omnibus diuinam prouidentiam, primam rerum omnium causam, deuoto pectore suspiciamus.

C A P V T V.

Tobias in aduersis erectissimus.

Tobias non inopia tantum, sed & cæcitate, gemino & alto ictus vulnere, præterea domi suæ reperit sibilantes colubros, qui cum delictorum aculeis multò acerbis fauciarent. Vxor & cognati, quorum fuisset mæstum solari, contumeliis, irrisu & vario scormate iam cæcum & pauperem confixerunt.

Hic gemina sese spectandum dedit patientia, aduersus Deum nec voculam animi reluctantis indicem eiecit, aduersus coniugem & cognatos, nihil quod lædere posset protulit; immobilis in timore Dei gratias agens Deo, perstitit. Cognati & vxor illum simplicem, delirum, fatuum, amentem appellauerunt. *Nam sicut beato Iob insulabant, ita isti parentes & cognati eius iridebant vitam eius, loco fuisse dicentes: Vbi est spes tua pro qua elemosinas & sepulchra sua debuisse? At verò Tobias non pari reddidit, nec acerbis quidquam respondit, sed eos, quod Paulus præcipit, in spiritu lenitatis instruens: Nolite ita loqui, aiebat quoniam filij Sanctorum sumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo.*

Eximia Tobie patientia.

illi nimirè qui parètiè abebuisse. Tob. 2. 15. & 16. Ibid. 17. 18.

Quo sermone Tobias ipem æterna vitæ viuacissimam sibi esse monstrauit. Eo autem vir sanctus & probus integritatis laudem summam est consecutus, quòd tametsi pauper fuerit, nec obolum tamen malè partum retinere domi voluerit. Nam cum vxor ipsius quotidie operis texitri aliquid faceret, mercede hædum in manu pretium accepit. *Cuius cum balentis voce audisset Tobias: Videte, inquit, ne forte furuius sis; reddite eum Dominus suis, quia non licet, nobis edere ex furio aliquid, aut contingere: Hic vxor tota in sermone iacès, & fremebuda: Manifestes, inquit, vana facta est spes tua, & elemosyna tua modo apparuerunt. Vide, mi vir, vide, mi sancte, sed simplex hypocrita, quid tot elemosynis tuis lucratus sis. Ego stipem tuam omnem non asse redimerem. Et tamen Tobias tam aculeatam & maledicam linguam æquo animo ferens, ita incendi, aut exacerbari nequit.*

vid. 21.

vid. 22.

Hic explicandum cur Deus virum integerrimum tot experimentis, tamque vario tentamine fatigatit, & quatione Tobias non contristatus, in Dei timore immobilis gratias Deo egerit. Ita Tobiam in aduersis erectissimum hic sistam.

§. I.

Iulius Fatius de vitiosis affectibus edomandis dissi-rens: Deus, inquit, non vt pictor agit, sed vt phrygio. Pictor tabulam politam aut laminam cupream, aut telam expassam in partes non fecat: non comminuit, sed eos colores artificioso penicillo illinit, vt omnibus pictura placeat, omnes cum tarentur & laudent. At verò phrygio telam sericam, holosericam, Attalicam conscindit, particulas vnionibus & gemmis distinguit. Hinc opus elaboratum, & pretiosum. Deus ab orbe sic egit: tot centena millia suorum mutilari, lacerari, secari permisit. His decussa capita, his confossum pectus, his discepti artus, illi paribula, rotas, cruces corporibus cruentis veltierit; isti membratim lacerati, flammis consumpti, aquis præfocati, bellis obiecti, telis confixi, plumbatis contusi, flagris & tauris concisi, faxis & lapidibus instrati. Quorum lanienæ ingemiscens Paulus: *Sed si fieri, inquit, lapidati sunt in occasione gladij mortui sunt.* Est nonnemo, qui credat plures homines, Christi martyres in lege noua occisos, quam in prisca pecude mactatas. En tot centena millia, tot hominum milliones pro Christo iugulè præbuerunt, ferrum receperunt, vitam non ratò per membra singula profuderunt. En quomodo noster hic

Fatius de mortificat. cap. 11.

In vitiosis affectibus edomandis Deus se gerit vt Phrygio.

Heb. 11. 37. Scribanus in Christo pariete pag. 19.